IN PAROECIAM GRUMOLI MONTIPEDIS BIS GRANDINE IRRUENTE ET…

Natale Agostini

IN

PAROECIAM GRUMOLI MONTIPEDIS

BIS

GRANDINE IRRUENTE

ET OMNIA DEPOPULANTE

CARMEN

NATALIS AGOSTINI

PATAVII
TYP SEMINARII
1856

Nuntia fama vola moestis circumdata pennis,
Et quae corde geavi, pressa quae mente revolvo
Centum effunde tubis: terrarum effunde per orbem
Ut mea sit spoliata domus, sit squalida tellus,
Horror ubique ingens et mortis regnet imago.
Talia narranti nullum tibi spero futurum
Qui cupida aure bibens sibi carmina dicta fideli
Temperet a lacrymis: aliquem fortasse videbis
Moesto ferre pium saltem mihi dulce levamen.

Lunae sacra dica multos lacrymanda per annos
Ardenti primum flamma comitante molesta
Serius horribilem duxit post prandia formam
Sol fugit, atque nigris impletur nubibus aether;
Igne micat, crepitansque tonat, fera fulmina vibrat
Sub duce ventorum spoliatus mille catenis
Per medios spatiatus agros, per aperta viarum
Evolat horrendis alis et sibilat auster;
Tecta premens prosternit humi terrentia gentes,

Solvit et avulsas imis radicibus ulmos.
O quam terribilis caelo commotus in alto,
Nec prius auditus clamor mihi fertur ad aures!
Non ita Cyclopes nigro sudore sepulti
Infernis oculis immania brachia tollunt
In numerum, ferrumque premunt incude sonanti;
Non ita sanguinei medio in certamine Martis
Dum tota aura strepit, dum tellus sola tremiscit
Pulvere funereo belli magna aera tonabant:
Ut saepe audivi misceri murmure caelum,
Diversisque modis mihi fata extrema minari.
Nunc currente rota sunt visae errare quadrigae
Et fera quadrupedante sono quatere ungula nubes;
Nunc resonare tubis lugubre canentibus aer,
Et mille armati saevire ferociter hostes;
Nunc mare turbatum mugire frementibus undis,
Luctari venti, navesque agitare vagantes.
Orabant flentes pueri, innuptaeque puellae,
Flectebant pia genua senes ventura trementes.
Ipse etiam pendente stola dare vota parabam,
Fervida vota Deo, visa minitante ruina.
Sed ventis pulsata novis dum quaelibet arbor,
Dum mea contremuit sedes, ego territus ibam,
Nec strictum manibus librum nec verba videbam;
Sic igne errabant oculi, sic triste sonabat
Auribus insolitum murmur, sic corda premebat
Formidata movens ardentia fulmina caelum.

Frangi ego saxorum magna sub mole videbar,
Vento ululante rapi, raptusque per aethera ferri,
Aut brevis accendi repetito fulgure pulvis,
Glutiri aut vivus tremulae telluris hiatu.
Sed jam crebra fremens crepitu ruit horrida grando,
In campos ruit, et flavas populatur aristas,
Speratamque bonis pendentem vitibus uvam,
Arboribusque rapit fructus et gramina pratis.
Egressus meditans demissa fronte colonus
Stantes evellit crines at pectora tundit.
Impensos frustra longos videt esse labores,
Atque una periisse dolet tot vota dierum,
Vota domus multae; primum quoque vota canentis,
Nunc tristes lacrymae; totum qui vixerat annum
Non Mansi (*) reditu memoranti grandinis iram,
Non sibi commissi fructu praesentis ovilis
Sorte etiam dominante gravi dare corda parati,
Sed Pater Omnipotens quia providus omnia vidit.
Unica spes hujus bene culti et fertilis anni,
Me spes maturae segetis, me grandior uvae
Communi fugiente malo spes dulcis alebat.
Sed per inaccessas undas dare vela paranti
Nunc quibus utendum remis, quibus ire licebit
Navibus aut ventis, quo cursu tangere portum?
Ad dextram juvat, ad laevam te vertere partem?
Hinc Scyllam cernis scopulos praebere minantes,

(*) Paroecia in qua prius fuerat scriptor.

Faucibus horrendis hinc te sorbere Charybdim.
Nam circum quocumque moves tua lumina pastor
Non nisi triste vides. Squalet sine gramine pratum,
Flet sine fronde salix, moerent sine frugibus agri
Ducere qui cultam sperabat in horrea messem,
Dividere et natis sudatae praemia frontis,
Pastus ferre gravem aestivo sub sole laborem,
Tempus et hybernum lenire beatus ad ignem;
Horribili nunc triste dolens cum falce movetur
Undique prostratae segeti supremo daturus

Sed quae turbatis oculis nova scena paratur?
Fallor? en infausto caelum tonat omne fragore,
Assiduisque micans iterum mea lumina terret
Ignibus? Haud fallor; ventis comiteta tremendis
Multiplicata ruens magis infremit altera grando.
Et grando apparet caelum undique et undique grando,
Grandine tecta sonant, strepit omnis grandine campus,
Grandine planities, albescit grandine collis.
Haeccine, dicebam, dolor haec manus ultima coeptis?
Quid tibi restat adhuc nisi nuda et squalida tellus?
Qui Croesus poterat, qui frugibus Attalus ire,
Non habet hic granum digitis quod quinque levetur.
Et mater crustum panis poscentibus unum
Quid mater sine pane dabit tristissima natis?
Quid trepidans ego pastor agam cum paupere multo
Infelix pauper longum saturandus in annum?
Vivere qui felix per amica silentia collis,

Claudere qui placidos oculos hic posse putabam,
Nunc quoque sorte premor sic me comitante feroci
Ut multis urgere malis furibunda solebat.
Non gravis ergo putat poenae satis ante dedisse?
Est aliquid pejus quo se tota expleat ira?
Est etiam malesana famos et turpis egestas
Ut totum maceret me saerum rite ministrum
Ductorem populi, me saltem aetate cavendum?
Num ferar ante foros et nudis crinibus albis
Membra levans baculo, suffflansque hac mole gravanti
Dura alimenta petam pudibundos voce trementi?
Ah non sic unctos oleo votisque sacratos,
Per quos descendit caelo datus Hostia Jesus,
Per quos humanae delentur crimina vitae
Aeternaeque licet fontes aperire salutis,
Non hos religio laetis plena ubera praebens
Ne ferat immerito flentes per aperta vagari,
Nec sanctos humeros lacera sub veste tegentes
Aut sanos tremulis manibus sibi poscere nummum,
Aut aegros intrare domum cuicumque paratam.
O domus ista sacris et acerba et iniqua ministris!
Ah quoties panem lacrymis implebit obortis
Quum bona mixta malis videat loca plena sacerdos
Est ubi tam dispar nato cum divite pauper,
Cum nota meretrice vaga vitae integra virgo,
Cum fure innocuus, cum fido sponsus adulter?
Cur non aequa datur miseris habitanda relictis?

Pontus dat pisci, dat nidos tecta volucri,
Sunt foveae vulpi, fulvo sunt antra leoni,
Hyrcanae tigres et lustra et pabula servant
Hiccine solus erit longe super omnia princeps
Qui non saepe cibos, aptam non invenit sedem?
Exoriare aliquis patavino e sanguine civis
Eximia pietate potens communis amice,
Grandia qui meditans generoso et pectore digna
Propositisque tuis longos servata per annos
Nunc moveas operosa manus, sociisque paratis
In patria urbe velis patefactam ducere sedem,
Cara ubi materno pietas se sistat amore
Excipiatque sinu memores sua gaudia natos

Sed qui disponit tam dulciter omnia Rector,
Qui plectens sanat medicus quia vulnera curat,
Qui parcens oleo servat nos dulcis olivae,
Si me ferre malum non hoc mutabile scripsit,
Si divina manus deleri syllaba nescit,
Flexus adoro Deum, promptus sua vota secundo,
Atque meum benedico Patrem sic semper amantem
Seu justus punire velit me plura merentem,
Seu pius indigno manibus det munera plenis
Sed pius esse velit qui maluit ante vocari
Hoc sibi tam caro, quam tristi nomina justi;
Cui placuit prono ad veniam, semperque placebit
Humanas audire preces et nulla negare
Et si quando negat mercedem aut dona roganti

Aut negat assiduis votis quia gaudet adiri,
Saepius aut fingit se velle petita negare,
Invitoque negans animo concedit aperto.
Sic tu cui divina sonat vox missa per aures,
Qui commune malum numquam saevire tulisti
Caelestisque soles imitari exempla magistri,
Consule supremum, tibi si lenire volenti
Tristia mellifluo Deus annuit ore locutus,
Aspice propitio vultu rerum omnium egenum
Et misero succurre mihi, succurre precanti

(19
seh.